


Uniuersitas Melburniensis

Uniuersitati Macquilliance.

S. P. D.

Uniuersitati nostrae quinquaginta iam annis peractis postquam primis discipulis haud, ut opinamur, inuita Minerua fores aperuit, ferias iubilaeas anno proximo celebrare, atque cum Uniuersitates nobilissimas tum etiam singulos uiros, praecipua scientiae cuiusque ornamenta, in partem comiter et impense uocare constituimus. Scimus quidem quantum seu terrae seu maris spatium a plerisque orbis terrarum partibus nos separet; sperare tamen audemus haud ingratum uobis fore aliquem doctum uirum adlegare qui uel a uobis profectus uel inter nostrates iam degens apud nos uos repraesentet, quemque hospitio, pro eo ac possimus, libentissime accipiamus; oramus praeterea ut certiores nos faciatis quem adlegaueritis. Quae si pro humanitate uestra facere uolueritis, scitote nos in diem uicesimum quartum mensis Aprilis usque ad Kalendas Maias ferias indixisse.

Dabamus Melburnia, *Die I<sup>o</sup> Sext.* MCMV.



Cancellarius.

